

Maria Magdalena ob eius excelsa merita, divina inspirante gratia ab Apostolica Sede decernatur, eadem ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, atque Officium, & Missa de ea, ut infra recitari, & celebrari possit, &c. Et ideo beatificatio appellatur à multis, ut testatur Catena de Officio Sancti. Inquisit. parte secunda, titul. 17. paragr. 12. numero 51. Canonizatio particularis, aut Canonizatio secundum quid. Atqui canonizatio habet certitudinem fidei, ergo beatificatio, cum sit illi proxima, habet summam certitudinem, quæ dari potest infra fidem.

Catena.

25.

Turrian. Diana.

Secunda pars conclusionis, nempe asserere Pontificem posse errare in beatificatione Sanctorum esse erroneum, temerarium, scandalosum, ac impium. Ita Turrianus citato dub. 6. & Diana citata resolutione 19. Dico quod si erroneum opponitur communi consensui fidelium, omnes enim tenent beatificatum esse in cælo. Temerarium adversatur communi sententiæ Doctorum. Scandalosum, quia ex tali assertio oritur scandalum in animis fidelium. Impium, quia contra Christianam Religionem, & cultum Sanctorum dicitur. Imò addit Turrianus, qui doceret Pontificem posse errare in beatificatione, esset suspectus de hæresi, quia videtur velle negare potestatem esse in Summo Pontifice ad justè, & rectè beatificandum hominem aliquem.

26.

Greg. XV.

Ad argumentum M. Joannis à Divo Thoma ex Concept. Dicimus Pontifices aperte, & claris verbis in suis Bullis, ut Gregorius XV. relinquere certitudinem talis festivitatis intra terminos probabilitatis. At in nostro casu, ut tenent Doctores citati, contrarium manifestatur: nam per Decreta beatificationis, saltem implicitè, & inchoativè determinatur sanctitas personæ beatificatæ; & ut bene advertit citatus Trullench, numero tertio. Per canonizationem, & beatificationem cognoscitur hominem defunctum esse in cælo: per canonizationem forma definitiva, & pronuntiativa; per beatificationem forma indoliva, & concessiva.

QUESTIO V.

Quæ requiruntur ad beatificationem?

SUMMARIUM.

- 27 In causis beatificationis, ac canonizationis Pontifex non procedit, nisi elapsis quinquaginta annis.
28 Ad canonizationem, seu beatificationem requiruntur miracula, ac vitæ sanctitatis.
29 Merita requiruntur magnis virtutibus comprobata.
30 Si fuerit Religiosus, requiritur exactissima custodia eorum, quæ ad Religionem pertinent.
31 Requiritur etiam miracula non tantum in vita, sed etiam post mortem, & num. 32, 33.
34 Papa de potentia absoluta potest beatificare

absque miraculis.

35 Ad canonizationem, vel beatificationem requiruntur miracula pro Sanctis Confessoribus, & Virginitibus, non vero pro Martyribus.

36 Fama communiter non sufficit, nisi sit valde notoria, & miraculis comprobata; & numero 37.

At Sacra Congregatio habita anno 1642. In causis canonizationum, & beatificationum propter eorum gravitatem solet Sedes Apostolica procedere cum magna maturitate. Et ideo diuturna tarditate, & considerata maturitate in tali negotio est agendum, cap. Quiescimus, distinct. 40. cap. Miramur 61. distinct. cap. Nuper, 7. quest. 2. cap. Ubi periculum, in principio; ita Mascardus de probatione. Rocca Pasqualigus, quos citat Lezana in consultiis, consulo primo, num. 38. & ideo à Sacra Congregatione Rituum institutum est; ut deinceps in præfatis causis beatificationis, ac canonizationis non procedatur: Nisi elapsis quinquaginta annis de obitu; & tunc nisi adhibita prius, & expresse obtenta licentiâ à sanctitate sua vel ab ejus successoribus.

27. S. Congreg.

Ad beatificationem, seu canonizationem requiruntur sanctitas vitæ, & miracula, ut expressit Gregorius IX. in Bulla Sancti Antonii de Padua, quæ incipit: Cum dicat Dominus apud Cherubin. tomo primo, Constitut. 4. ejus, in cuius, 3. §. ait: Nos attendentes, quod licet ad hoc, ut aliquis Sanctus sit quod Dominum in Ecclesia triumphante, sola sufficit finalis perseverantia, juxta illud esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Ad hoc tamen ut Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & verius signorum, merita videlicet & miracula, hæc, & illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plane sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis. Sic docent, & late explicant Mascardus de probat. vol. 1. conclus. 260. Contolorius de canonizat. Sanct. cap. 19. & ex aliis Catena de Officio Sancti. Inquisit. part. 2. tract. 17. §. 12. num. 22.

28. Greg. IX.

Mascard. Contolor.

Catena.

Merita requiruntur comprobata magnis virtutibus, non quæ sunt communes, & ordinariæ, sed illis, quæ à Theologis appellantur heroice seu in gradu heroico; & veluti divinæ, & superhumanæ, per quas quantum fieri potest, homo conjungitur Deo; de quibus Aristoteles lib. 7. Moral. cap. 1. D. Thom. ibi Bonavent. in 3. distinct. 34. quest. 1. Gesen 4. part. Piccolomineus lib. de Moralibus gradu 6. cap. 1. 2. & 3. Fortunatus Scachus de cultu Sancti. lib. 1. sect. 2. cap. 1.

29.

Aristor. D. Thom.

Si canonizandus, vel beatificandus fuerit persona Religiosa præter virtutes in gradu heroico requiritur quoque exactissima, & vigilantissima observantia, & custodia illorum omnium, quæ ad suum religiosum statum spectant: nam qui ab Ecclesia beatificantur; vel canonizantur, proponuntur fidelibus imitandi, ut norma morum, & virtutum, & per consequens ut exacti, & perfecti observatores suarum obligationum, quales Christus Dominus requirit suos

30.

suos speciales discipulos. Estote perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est. Matth. 5. Molfesius tomo secundo, Addition. ad questiones usquales, consil. 46. num. 5. & 6. Deinde quia ita tenet communis stylus Summorum Pontificum in Bullis Canonizat. Beatificat. Innocentius IV. pro Sancto Petro Martyre. Eugenius IV. pro Sancto Nicolao Tolentino. Sixtus V. pro Sancto Didaco. Clemens VIII. pro S. Hyacinto, & S. Raymundo. Urban. VIII. pro S. Andrea Cursino; & B. Maria Magdalena de Pazzi. Ita citat. Fortunatus Scachus sectio 6. Contolorius de canonizat. Sanctis cap. 15. n. 10. ex variis Rotæ Relat. pro Sancto canoniz.

Seachus. Contolor.

31.

Greg. IX.

Præter sanctitatem vitæ ad beatificationem, & canonizationem requiruntur miracula ut patet ex Bulla Gregorii IX. supra relata, quia potest contingere, quod ii, qui secundum apparentiam bonam vitam gerunt, in occulto tamen improbi sint. Innocentius cap. Audivimus, de reliquis, & venerat. in sine Petrinis tom. 1. Privil. Minor. in Constit. 16. Leon. X. n. 8. M. Lezana supra citat. n. 12.

32.

Diximus communiter requiri miracula ad canonizationem, &c. quia absolute, & veluti de potentia absoluta Papæ, fieri potest canonizatio alicujus, ex sola vitæ sanctitate, & finali perseverantia, bene comprobata. Sic colligitur ex Leone X. in Canonizatione Sancti Brunonis ut refert Surius in ejus Vita; & ex Sixto IV. in Bulla canonizat. Sancti Bonaventuræ. Sic Augustinus Triumphans de potestate Ecclesiæ, quest. 15. art. 2. Contolorius de canonizat. Sanct. sect. 29. Baldellus tom. 2. lib. 5. dist. 12. num. 2. Molfesius supra citatus, n. 59.

33.

Miracula autem, quæ requiruntur, debent esse post mortem patrata: nam quæ sola sunt in vita, non convincunt, nec aperte ostendunt sanctitatem, constat plures improbos dum viverent mirabilia patrassè, quod fieri poterit ex dono quodam, & gratia gratis data, quæ potest haberi etiam sine charitate, ut colligitur ex reprobis, qui dictori sunt in die judicii. Matth. 7. Domine in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et ut adverti ibi tomo secundo in Evangelia; & notat Divus Augustinus in Psalm. 103. vers. Qui regis: & habetur cap. Prophetavit, 2. quest. 1. Non dicitur eis. Mentimini, sed dicitur, Non novi vos, quia scilicet poterat contingere, quod illa essent operati ope Dæmonum, ut Magi Pharaonis, Simon Magus, & alii. Ita S. Thomas 2. 2. q. 178. art. 2. Contolorius supra citatus, cap. 20. Baldellus supra, dist. 14. n. 2. Castellinus de dilatione canonizat. pag. 134.

Matth. 7.

August.

D. Thom. Contolor. Baldellus. Castellin.

34.

Miracula, quæ requiruntur ad beatificationem, vel canonizationem, debent esse à solo Deo, & non quæ ex aliqua arte contingant, nec ex diabolo: nam aliquando talia per multos fiunt, quæ in oculis nostris videntur miracula, cap. Teneamus, 1. quest. 1. & cap. Prophetavit, quest. 7. §. Ita Balaam. Secundo, ut sit supra naturam, id est, super facultatem omnium causarum naturalium. D. Thom. 1. p. 9. 110. art. 4. & 2. 2. q. 178. art. 2. & ibi Theologi. Ad canonizationem, seu beatificationem

D. Thom. & Theol.

35.

Sylveira Opuscula.

requiruntur miracula pro Sanctis Confessoribus, ac Virginitibus, non autem pro Sanctis Martyribus, ut proponantur, ac declarentur, ut Sancti venerandi à tota Ecclesia, sed de hoc latius infra verbo Canonizatio, vel verbo Martyr.

36.

Fama communiter, & regulariter non sufficit pro probationum hujusmodi causis, quia non facit plenam probationem, l. 3. §. ejusdem quoque, ff. de testibus. Accurtius verb. Confirmat. Bartolus ibidem. Cardinalis Albanus tom. 2. Decius cap. 1. de probat. Castellinus supra citatus pag. 101.

Leg. 3.

Bartol. Albanus.

37.

Tamen quando fama miraculorum est notoria, & probabilibus conjecturis, aut verisimilibus argumentis innotuit, magnum, & efficacissimum dat judicium ad effectum canonizationis, vel beatificationis; ut colligitur ex Bullis Summorum Pontificum pro canonizatione, vel beatificatione, ut patet ex litteris Paschalis II. Dominum excelsum; pro beatificatione Petri Episcopi Ananienfis: Alexandrii III. Redolet Angliæ, pro canonizatione S. Thomæ Cantuarii. Gregori IX. in litteris Mira circa nos, pro canonizatione S. Francisci Honorii III. in litteris pro canonizatione S. Laurentii Episcopi Dublinensis, & multi alii, quas ad intentum refert Fortunatus Scachus de cultu, & venerat. Sancti. lib. 1. sect. 9. c. 7. & patet etiam ex canonizat. & beatific. ut constat ex instrumentis Canoniz. S. Andrea Cursini, beatificationisque B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, ac multis aliis. Paschalius.

Paschal.

Alex. III. Greg. IX.

Honor. III.

Scachus.

38.

De exactissimis probationibus, inquisitionibus, ac testibus, multisque Congregationibus habendis ad effectum beatificationis, ac canonizationis, latissime agunt Gallestinus p. 3. de Canoniz. S. Didaci, cap. 6. Scelus singularis, & cap. 8. art. 10. & sequentibus Jacobus Castellinus de canoniz. Sancti. quest. 7. §. Quæro qualiter. Troylus de canoniz. c. 1. num. 15. & c. 4. Malverius num. 64. Malverius tract. de Canoniz. §. Aggrediar n. 53. Fortunatus Scachus de canoniz. sect. 1. cap. 8. M. Lezana in consultiis, consulo 1. per totum.

Gallestin.

Castellin.

Troylus.

Malverius.

Scachus. Lezana.

QUESTIO VI.

Quibus datur officium recitare, & Missam celebrare de Dei servo Beatificato.

SUMMARIUM.

- 39 Beatificatio cedit in gloriam Dei, beatificati, ac illius Religionis, vel provincie.
40 Decretum Sacra Congregationis, & n. 41.
42 Pro Sancto beatificato quibus conceditur Officium recitare, hoc possunt, non tamen tenentur.
43 Quibus conceditur Officium recitare, & Missam celebrare, possunt Missam celebrare, in qualibet Ecclesia.
44 De sancto beatificato non potest dici Missa votiva, nisi in magna aliqua ejus solemnitate, & n. 45.

46 Dies Sancti beatificati impeditur potest transferri ad diem non impeditum, & numero 47.

39. Per beatificationem, sicut & canonizationem defertur aliquis sacer cultus in honorem talis servi Dei, in utilitatem fidelium, qui inde ad devotionem inflammantur, ad talisque iusti virtutes imitandas excitantur, & ad gloriam Dei, qui est mirabilis in sanctis suis; opera enim, & miracula facta à tali Sancto, facta sunt gratiâ, & virtute Dei, inservitque etiam hoc ad magnum decorem Religionis, Provinciarum, ac patriarum, quæ tale germen produxit.

40. Inno. X. Pro fundamento omnium, quæ dicenda sunt in hac questione, propono Decretum Innocentii X. nam cum in Sacra Congregatione Rituum delata essent multæ Auctorum sententiæ (quas statim referemus) exponentes Brevia Pontificia pro cultu Beatorum concessa, violenter, contra ipsorum verba, & mentem Sacræ Congregationis Innocentius X. condidit hoc Decretum sequentis tenoris.

41. S. Congr. Sacrorum Rituum Congregatio die 5. Octobris 1652. Censuit, & declaravit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, non potuisse, nec posse tam seculares quam Regulares cujuscunque Ordinis, & instituti etiam Societatis Jesu, excedere limites verbales indulgentiarum Sedis Apostolicæ super beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & Officii cum Octavis, nisi hoc Sedes Apostolica expresse eis indulserit, & facta relatione per me Cardinalem Cornelium Episcopum Albanensem die 16. Decembris 1652. Sanctitas sua approbavit, & sic ut præmittitur servari mandavit. F. Episcopus Albanens. Cardin. Cornelius. loco sigilli J. Bernardinus Roccius Secretar. Rituum Congregat. Sacr. Romæ ex Typographia R. Camera Apostol. 1652. de quo vide infra, quæst. 7. num. 54.

42. Ex quibus sequitur. Primo, quod quando pro aliquo Dei servo beatificato conceditur pro aliqua Religione, vel Provincia, quod fiat de eo Officium, & Missa celebratur, Religiosi illius Religionis, vel Clerici illius Provinciarum non tenentur sub peccato mortali, sed tales Ecclesiastici liberè potest omittere tale Officium, quia in Bullis beatificationis Stylus Curie habet, ut patet ex n. 1. tales Religiosi poterunt Missam celebrare, & Officium recitare; qui modus dicendi non infert obligationem, ut rectè observat M. Lezana in consulti. consulti. 1. n. 63. aliter dicendum de Sanctis canonizatis: nam in Bullis canonizat, dicitur statuentes ut ab universis fidelibus Officium recitetur, & Missa celebratur, qui modus dicendi imponit obligationem.

43. Nota etiam Granado 2. n. 2. controvers. 1. tract. 7. disp. 4. sect. 2. num. 47. quod quando pro aliquo Beatificato conceditur aliqui Religioni Missam celebrare de eo in die obitus ejus, quod Sacerdos talis Religionis ubique terrarum poterit de eo Missam celebrare, in Ecclesia alterius Monasterii, vel Parochiarum absque culpa mortali, ait ipse quod si semel, aut bis hoc fieret non videri peccatum lethale, quia cum celebratio sit licita, quod solum mutatur

Ecclesia, vel altare, non videtur gravis inordinatio, nisi ea mutatio toties fieret, ut merito judicari posset valde contraria decreto Summi Pontificis: ita ille; & ultimum quod dicit, mihi non placet, quia si Religiosus per decem annos cum licentia sui Prælati sit in una Civitate, in qua non est Conventus sui Ordinis, quotannis in die talis beatificati, verbi gratiâ, Beatæ Mariæ Magdalene de Pazzi, poterit Carmelita de ea Missam celebrare, quia concessio Missam celebrandi solum restringitur ad personas illius Religionis, non verò ad illius Ecclesias, vel loca, nisi expresse in Bulla beatificationis locus restringatur.

44. Maxime tamen dubitatur, an de Sancto beatificato possit celebrari Officium cum Octava, vel Missa votiva per annum dici, vel etiam de eo per annum dari illius commemoratio? Negativam partem constanter tenentur Turrianus 2. 2. disp. 17. dub. 8. Amicus tom. 5. disp. 7. sect. 4. num. 100. Trullench. in Decalog. tom. 2. lib. 1. cap. 9. dub. 5. num. 9. & 10. Joannes à D. Thoma 2. 2. disputat. 9. artic. 1. folio 772. Diana tom. 12. tract. 2. resol. 19. §. Objectiones. Fundamentum eorum est, quia Sancto beatificato non potest deferri aliquis cultus, nisi tantum ille qui in Bulla beatificationis exprimitur expresse, ac declaravit Innocentius X. at qui tantum declaratur, quod fiat Officium, & Missa de eo in die obitus ejus, ergo ultra non potest fieri Officium: ac Missa cum Octava, nec votiva per annum; de Octava expresse prohibetur in dicto Decreto.

45. Tamen salva pace tantorum virorum, Dico quod bene potest Missa votiva celebrari de Sancto beatificato, quando primo solemnitas ejus beatificationis celebratur in aliqua Provincia, vel in aliquo Conventu Religionis ab his, quibus conceditur de eo Missa celebrari, sicut & ab eis potest Missa sacrificium dici, quando primo altare, vel Capella dedicatur beatificato, vel præ aliqua magna necessitate, vel beneficio obtento. Probatur, quia talibus personis concessum est de tali Beato Missam celebrari, proinde declaratur illum esse dignum ut Missæ sacrificio honoretur. Hi autem casus sunt magni, & magna nota digni, ergo per epieicheiam videtur excepti à communi lege, & si Pontifex de illis interrogaretur, valde verisimile est, quod concederet: loquimur secundum communem stylum beatificationis, quia si sua sanctitas concesserit, quod de eo quodlibet die, & à qualibet persona possit Missa celebrari, tunc cessat omnis difficultas.

46. Si tamen Sanctus beatificatus ex causa transferatur, verbi gratiâ, dies 25. Maii est festivitas Beatæ Mariæ Magdalene de Pazzi, si tunc incidere solemnitas Ascensionis an ejus festivitas poterit transferri in alium diem non impeditum? Multi apud Auctores citandos negant, alii plurimum dubitant. Ut Joannes à Divo Thoma supra citatus, Diana citato tractatu 12. resolutione 21. Paragrapho Verum oppositum, quia dies beatificati assignata est à Sacra Congregat pro tali die, ergo in alium non potest transferri, quia juxta Decretum Innocentii X. beatificato non potest alius cultus deferri, nisi illi tantum,

tantum, qui assignatus est à Sacra Congregatione; & ideo Auctores citati dicunt fatius esse in hac re consulere Sedem Apostolicam.

47. Tamen ego simpliciter dicendum existimo, quod dies festus talis beatificati, potest transferri, quia concessio Apostolica intelligenda est fieri juxta regulas Breviarii, & ita in multis Bullis beatificationis exprimitur, ut in Bulla beatificationis Beati Francisci de Borgia, dicitur ut recitetur Officium de Sancto Confessore non Pontifice juxta rubricas Breviarii, & ita semper intelligenda est concessio quamvis non exprimitur, quia mens Sacræ Congregationis videtur esse, ut quolibet anno ejus festivitas celebratur; ac proinde si propria dies est impedita ad alium transferatur: & recitatio talis diei non videtur ita restringenda, cum favores sint ampliandi, & concessio intelligenda est juxta rubricas Breviarii.

QUESTIO VII.

Supposito quod aliquibus conceditur licentia recitandi Officium, ac Missam celebrandi de aliquo Beato, an possint licite omnes alii uti tali concessione?

SUMMARIUM.

- 48. Status questionis.
49. Prima sententia affirmat.
50. Opposita sententia vera, & num. 51.
51. Diluitur fundamentum contraria sententia, & num. 51.
52. Frivole respiciunt aliqui Decretum Congregationis non admittentes.
53. Si deus reliquia insignis de Sancto beatificato in Ecclesia non propria, non debet de eo celebrari Officium, vel Missa, & num. 56.

48. Questio præfens: concedit sua sanctitas ut una Provincia, vel Religio Officium recitet, Missam celebret de tali beatificato. Questio est, an non solum Ecclesiastici illius Provinciarum, vel Religionis possint illa solvere, an etiam Sacerdotes extranei, verbi gratiâ, alterius Provinciarum; vel Religionis possint de tali Beato Missam celebrare, & commemorationem facere in Missa per annum?

49. Affirmativam sententiam docet Thomas Tamburinus Opusculo de sacrificio Missæ, lib. 2. cap. 6. §. 8. num. 15. citans pro sua sententia Fagundez, in qua etiam sententia est Quintanadven. tom. 1. tractatu 6. §. 5. num. 2. cum sequentibus. Fundamentum est, quia una Missa ejusdem est valoris, & dignitatis, ac quælibet aliarum, proindeque ut Pontifex declarat talem Beatum dignum esse una Missa, ut dicatur ab una persona determinata, declarat illum esse dignum omnibus aliis Missæ Sylveira Opuscula.

50. sis à quocunque celebrandis, & sic eum taliter sit declaratum, non est unde quilibet Sacerdos impediatur talem Beatum venerari per suas Missas, absque alia Sedis Apostolicæ auctoritate, cum jam per ipsam Sedem Apostolicam declaratus sit tali Missa dignus.

Dico tamen, quod opposita sententia mihi simpliciter est vera. Eam tenentur Granado Granado. secunda secunda, controvers. 1. tract. 7. disp. 4. sect. 2. num. 18. Turrianus 2. 2. disp. 17. dub. 8. Amicus tom. 3. disp. 7. sect. 2. num. 200. Pellizzarius tom. 2. tractatu 8. cap. 2. num. 126. Anton. Escobar in Theolog. Morali edition. ultima, Escobar. examen. 12. cap. 4. num. 42. Trullench. in Decalog. tom. 2. lib. 1. cap. 9. dub. 5. num. 9. & 10. Diana p. 12. tract. 2. resol. 21. & Joan. à D. Thoma Diana. Joan. à D. Thoma. ma superiori quasi citatus. Et probatur, quia maxime distinguitur cultus, qui defertur canonizato, ac beatificato: nam cultus canonizati conceditur simpliciter pro omnibus, ac cultus beatificati restringitur ad certam Provinciam, ac ad certam Religionem ut patet superiori q. ergo ex eo quod restringitur ad certam Provinciam, ac Religionem, ut ab eis Officium recitetur, Missa celebratur, altare erigatur, excluduntur alii pro quibus non conceditur.

51. Probatur etiam ex Alexandro III. cap. Auctorem de consecr. quod non liceat sine auctoritate Romani Pontificis aliquem venerari pro Sancto, ergo eis, ad quos talis auctoritas non se extendit, sed restringitur, non licet alii cui venerationem exhibere quia quidquid amplius sit, sine auctoritate Romani Pontificis fit, ergo cum concedit licentiam pro tali Provincia, vel Religione, aliis censetur denegata, in hoc enim distinguitur canonizatio à beatificatione, cultus canonizati est pro omnibus, beatificati verò pro certis, & determinatis personis.

52. Nec obstat, quod facta beatificatione, supponitur talem virum esse in gloria, & sic deferri ei potest cultus: non inquam obstat hoc, quia cultus publicus non solum requirit, quod homo sit in gloria, sed etiam iudicium, aut licentiam Ecclesiæ, quæ quoad hoc est restricta.

53. Confirmatur nostra resolutio ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium approbata à Sanctissimo Domino Papa, quod nullus cultus deferatur viris beatificatis, nisi ille, qui Bullis beatificationis eis expresse datur, ac conceditur, ut patet ex ipso Decreto, quod retuli superiori questione sexta, in principio, numero 41.

54. Non de sunt tamen, ut advertit Diana, Doctores qui preffi supra dicto Decreto, quod fatis urget, asseruerunt, vel non fuisse legitime promulgatum, vel non fuisse legitime promulgatum, vel non tollere præsumptam, & consuetudines communiter in aliqua Provincia usu receptas; sed his minime standum est: nam Decretum cum fuisset Romæ typis datum videtur sufficienter promulgatum, & mens Sacræ Congregationis est, ut beatificatis nullus alius cultus deferatur, nisi ille, qui expresse in Bullis declaratur.

55. Quæres tamen, verbi gratiâ, pro Beata Maria